163

40



QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis 8. Aprilis.

M. JOANNE-BAPTISTA DE REVELOIS, Doctore Medico, Præſide.

An vinum Rhemenſe ſit omnium ſaluberrimum?

I.

ITA fato placuit nullius rei eodem loco ſtare fortunam. Quidquid à tempore duxit originem, eidem debet incrementum & finem. Fruſtra recurrit amœniſſima tempeſtas illa quæ Pleiadum ortum juvenili apparatu prædicat, incaſſum vireſcunt arbores & gramina : In hoc naturæ veluti renaſcentis ludo, una cum ceteris animalibus & plantis homo ſeneſcit in dies, & donec ultimum attigerit irremeabili viâ defertur ad occaſum. Quiſque ſuos habet in ſe reconditos hoſtes, quin dicam amat & fovet : extrinſecus etiam quaſi agmine facto ruunt in ejus perniciem peſtes acerrimæ; tempeſtatum & cœli maxime Pariſini varietas, crapula medicorum nutrix; amor omnium pathematum ſyndrome, labor & quolibet labore deterius otium, curæ mentis individuæ comites. Ipſe calor inſitus dum hoſpitis in modum humido excipitur, mox illius molitur exitium, ſibimet ſtruit inſidias, & Cadmico ſæpius occumbit certamine. Natura minus noverca quam parens, tot ruinis exhauſta ſubſidium

quærit quo quam facit jacturam ſarciat, & pro vario corporum ſtatu in eligenda inſtaurationis ratione illius emicat ſolertia.

I I.

REFICIENDIS partibus comparatum eſt alimentum, quod editorum in lucem ore tractum, in ventriculo coctum, recoctum in hepate, inquinamentis omnibus in corde purgatum, in arterias, & ab his in abſtruſiores corporis particulas roris modo permeat, & ibi numeris omnibus abſolutum, in earum naturam faceſſit. Hoc porro alimentum duplicis eſt generis, ſolidum & liquidum, quo quam ſolido repleri multo facilius eſt. Illud enim tardius & ægrius, hoc citius leviuſque ſubit: utque inter ſolida primatum pani, ſic inter liquida vino aſſignamus. Utriuſque vires ſi inter ſe conferas, antequam vis panis intro ſeſe dare incipiat, jam vinum per cuncta partium meabile, calorem quaſi divinum ſecum importans & vitæ ſpiritum, momento quoquoverſum diffunditur, ita ut ſi quid mirum in ſublunaribus, ſi quid in elementari mundo æthereum redoleat, vinum merito & ubique expetitum inter theſauros miſeris mortalibus cœlitus conceſſos maximè ſit reponendum. Abeant itaque abſtemij, fugiant bezoardici, futiliumquè tot confectionum præcones, habes in mero cardiacum non injucundi guſtus, nec eventus dubij.

I I I.

SUCCUS è maturis vitis domeſticæ uvis expreſſus, coctus, & purgatus, vinum dicitur, quod mundi dimidiâ parte jam ſubactâ, trans maria ad novas regiones deportatum ſic placet omnibus, ut quæ gentes divitiis circumfluunt eo defectæ ſe credant penitus egenas. Vitis mundo coæva Deum autorem agnoſcit, cultorem Nohemum, quam licet Hiſpania, Italia & nonnullæ aliæ nationes pro vernaculâ habeant, Gallia tamen acceptæ licet ſerius illius plantæ, ſibi arrogat principatum. Hic ſtudioſè colitur & hic jam communis mali exiſtit ſingulare præſidium. Franci ſiquidem celerrimis animi motibus

& quolibet exercitiorum genere cum frequenter percellantur, presto ubique est promptissima hæc languentium medela & vires dejectas subito reparat. Vide, ne ænanthinum à labruscâ, ab immaturis uvis omphacinum, mulsum, mustum, ænodes, hydatodes meraco adjicias, vinum enim calidum humidum dotibus præfulgens splendidioribus, tibi aderit timoris pharmacum, senectutis solatium, somni illecebra, fomes spirituum, ingenij stimulus, mœroris spongia, potantium demum ingenio se se accomodans atque subserviens.

I V.

TENENDÆ rerum similium dissimilitudines, hic segetes illic uvæ fælicius adolescunt, & ita solo se prebet natura facilem, ut licet ejusdem vitis radicem aut surculum alienæ terræ inseras, artem perdis & operam nisi solum analogiâ suâ faveat votis & foveat insitum. Quæque suos fructus effert plaga, ut quælibet mater etiam vitiosiores natos: testibus hisce ne fidito, vinum penitus defæcatum probat substantiæ nitor, optimæ coctum fragis genuinus sapor, grata & aromatica ad nares expiratio testatur tenuissimum. In colore natura ludit, prædictis tamen notis, si rubellus accedat, merum jucundius sumitur & citius coquitur. Ex nostratibus vinis album urinis & sudoribus movendis multum, parum nutritioni confert. Inter exotica, flavescens Hispaniæ patrium calorem arguit, & incendium, & sub cinere doloso latet ignis in frontigniano. Scrutare demum quas mero luxuriantes terras fama elevat, Burgundiam, Franciam, Campaniam, nullam invenies nationem, nullum oppidum quod se falernum non dixerit, sed ne quid fallaris, unam adito campaniam.

V.

NULLA civitas cuilibet intuenti gratior Rhemensi: diceres ad risum & delitias arte conditam, quippe patentibus in campis ad fluviolum sita æqualiter & penè in orbem montibus cingitur. Inde Tessiacum, Rillium, hinc sanctũ Theodoricum

Tessi
Rilly
S. Thierry,

Verzenay, proche Sillery, Chameri, Chini.

ſpectas, Verzenacum ſubinde, Camerã vini, Chiniacum & alios adjacentes proſpicis colles: ubique choreas agit lyæus, & ubique artis & arbuſti, ſolis & ſoli fauſto concurſu, vinum junctis perficitur dotibus, quas alij liquores non obtinent niſi ſolitarias. Vix tenuitati aereæ nonnihil pervadenti cedit ipſius ſubſtantia, crederes colorem eſſe cujuſdam liquidioris rubinorum acervi: nihil illius odore fragrantius ſpirat Arabia, nec ſapore nectar extulit ſuavius. Ab his abſolutæ coctionis argumentis, læta omnia, nec timenda quæ deterioris vini uſum ſequuntur incommoda; nihil inde eſt quod in ipſis faucibus angat, quod ſacræ mentis arci & imis ſenſibus inertiam torporemque diffundat, à quo micent pulſentque tempora, evertatur ſtomacus, incendantur viſcera; vino ad veſperam indulſeris, ſequenti luce alacer redibis ad munia.

Ergo vinum Rhemenſe eſt omnium ſaluberrimum.

Aſſerebat PETRUS LAURENCEAU, Campanus.
A. R. S. H. MDCLXXVII.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.